



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

script: & Cassan: eadem par. 4, considerat: 32.

34 Dignitatem † habent etiam Protonotarij, quorum alij ordinarij, & alij supernumerarij: Protonotarij ordinarij sunt participantes, qui habent officium Protonotariatus cum fructibus, qui ex eo in Romana curia percipiuntur: extraordinarij verò ad honores, & dignitatem Prælaturæ sunt creati, qui rochetum portare possunt. Protonotariatus autem est dignitas, † cum Protonotarij sint notarij Pape, ut cap: 2, & cap. cum redemptor, 12, q. 2, gloss. 1, in cap. scriptum de elect. & isti et-

iam quibuscunque Canonice, & dignitatibus non tamen Capitulariter incedentibus præferuntur, ut per Cassan, loco supradictato, consid. 29. ubi de dignitatibus Romæ Curie, & alijs copiosè scripsit in prædicta parte 4. per totam, quod puto distinguendum, quia aut Protonotarius extraordinarius est in habitu prælaturæ, & tunc extra ecclesiam præcedit alias dignitates sine prælatura, secus si est sumendus in simplici habitu Sacerdotali, in quo præsumitur simplex persona ecclesiastica, nisi aliàs sit persona gravis, & nota, quo casu habitus non attenditur.

DE ELECTIONE EPISCOPORVM, & qualitatibus in eis requisitis. Cap. III.

S V M M A R I V M.

- | | |
|--|--|
| 1 Episcopi, quomodo eligantur. | 13 Litteratura conveniens sufficit, & qua alia qualitates in Episcopo requirantur. |
| 2 Episcopatus Fossanen. est juris patrimonialis Serenissimi Ducis Sabaudia. | 14 Episcopatus est onus Angelicis humeris formidandum. |
| 3 Electio, & nominatio idem sunt. | 15 Processus super concernentibus cathedrali Civitatem, & diocesim, quomodo formandus. |
| 4 Praconizatio quid sit. | 16 Fidei professio ab Episcopis promovendis emittenda. |
| 5 Episcopi, quomodo confirmantur. | 17 Processus promovendorum ad Episcopatum, quomodo subscribantur. |
| 6 Cedula consistorialis, quid sit. | 18 Cedula pro Episcopis promovendis Cardinalibus danda, quid continere debeant. |
| 7 Aetas triginta annorum completorum in Episcopo requiritur. | 19 Cedula consistorialis quomodo expediatur. |
| 8 Illegitimus est inhabilis ad Episcopatum. | 20 Episcopi quomodo ordinentur. |
| 9 Episcopus promovendus per sex menses ante debet in sacris esse constitutus, & doctor, aut licentiatus. | 21 Episcopi, quando acquirant ordinariam jurisdictionem. |
| 10 Privilegium doctoratus non facit doctorem. | |
| 11 Examen promovendorum ad Episcopatum, fieri debet. | |
| 12 Episcopi sunt parochi parochorum. | |

- 22 Consecrari debent Episcopi infra tres menses.
- 23 Ordinis potestas per consecrationem acquiritur.
- 24 Episcopi per totam diocesim habent ordinariam jurisdictionem.
- 25 Episcoporum appellatione, qui veniant.
- 26 Ordo sacerdotalis post Christum à Petro incepit.
- 27 Episcopi officium quomodo facile, & difficile.
- 28 Episcopum, qualem esse oporteat.
- 29 Episcopi munus, in quibus consistat.
- 30 Episcopi, quales esse debeant.
- 31 Episcopi, quomodo subditis præesse debeant.
- 32 Canonici cathedralium ecclesiarum, quomodo sint corrigendi.
- 33 Crimen hæresis, etiam in loco exempto commissum ab Ordinario cognosci potest.
- 34 Exempti, etiam regulares, extra claustra degentes ab Ordinariis locorum corrigi, & puniri possunt.
- 35 Episcopi dominicis, & solemnibus diebus missam celebrare tenentur.
- 36 Episcopi suarum diocesum, & etiam æternorum, animarum cura debent habere.
- 37 Ecclesiarum substantia per filios solet periclitari.
- 38 Filios, vel nepotes ex filio habens, non est Episcopus eligendus.
- 39 Eliguntur Episcopi filios habentes de consuetudine.
- 40 Filius est argumentum ambulans super terram de incontinentia patris.
- 41 Filii in ecclesiis parentum, vel vacantia per mortem parentum beneficia obtinere non possunt.

EPISCOPI † eliguntur, confirmantur, & consecrantur. Eliguntur ad Episcopatus à patronis jus patronatus habentibus à Papa confirmandi, si idonei sint electi, ut ad Episcopatum Viglevanen. à Rege Hispaniarum, & ad Episcopatum Fossanen. à Duce Sabaudie titulo fundationis, & dotationis modernis temporibus ultra alios aliis fundatos, & dotatos per ipsos legitime acquisito †, cum dotatio, & fundatio sint duo ex tribus modis acquirendi jus patronatus, *cap. decernimus, cap. monasterium, cap. rationis ordo, 16. q. 7.* & Concil. Trid. *cap. 9, de reform. sess. 25.* & licet à patronis ad beneficia juris patronatus nominentur, † nominatio, & electio idem sunt, *cap. cum terra, & cap. cum in jure, de electio, & l. nominatio forma, ubi gloss. C. de decur. lib. 10.*

4 Ad Episcopatus, † qui ad liberam Pape dispositionem spectant, eliguntur, cum in Consistorio præconizantur, & præconizatio habet vim electionis, cum fiat tantum ad effectum nominandi personam ad Episcopatum assumendam, ut, si quis sciret aliquod impedimentum, quominus taliter præconizatus assumi deberet, illud manifestare posset, & ista præconization nullum tribuit jus, aut jurisdictionem, nec potest quis illius vigore fructus percipere, cum Episcopus nominatus, donec à Papa fuerit provixus, se in jurisdictione, & fructuum perceptione immiscendo, sit intrusus, *cap. quod sicut, in princip. de elect. Rebuff. forma dimiss. lit. par. 1, n. 3.* & Oldrad. *conf. 246, n. 1.* Confirmatur postea, † quando alia die in eodem consistorio, fabricato prius processu super vita, & moribus pro-

MOVER-